DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
CANCRO MAMMARUM,
QVAM
DEI OPTIMI MAXIMI AUSPICIIS,
GRATIOSISSIMI ORDINIS MEDICI CONSENSU ET AUTORITATE,
SUB PRÆSIDIO
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI atq; EXPERIENTISSIMI
DN. D. CHRIST. LUDOV. WELSCHII,
FACULTATIS MEDICÆ ASSESSORIS,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA CAPESSENDI,
DIE XV. NOVEMBR. ANNO MDCCIX.
PLACIDÆ DISQVISITIONI
OFFERT
M. GEORG. FRIDERIC. Kuttenberg/
LIPS. MED. BACCAL.

LIPSIÆ,
LITERIS BRANDENBURGERIANIS.



A. Ω.

§. I.



SExum sequiorem longe pluribus quam virilem, ærumnis obnoxium esse, documenta ostendunt quam plurima. Quot enim mala, quot læsiones vel solas mammas infestare solent? Dum hæ modo abundantia lactis obruuntur, modo penuria ejusdem laborant, mox indurescunt, inflammantur, ulcerascunt: papillæ jam fissuras, jam excoriationem, jam alios affectus satis molestos incurrunt. Nullus tamen affectuum mammarum gravior est, quam cancrosa earundem induratio vel exulceratio, & quidem tanto gravior, quo frequentior occurrit, imo quo rarius perfectam medelam admittit, sed efficacissima etiam præsidia ac remedia eludit. Licet autem irrita videri posfit opera, multa de ejusmodi affectu verba facere, ubi finis intentus, sanatio nimirum, obtineri nequeat. Interim cum & dignotio accurata & prognosis vera Medico omnino sit necessaria, sæpe etiam præservatio aut mitigatio molesti hujus & periculosisfimi mali locum habeat: non omni fructu laborem hunc cassum fore confido, dum speciminis Inauguralis loco *Cancrum Mammarum* pertractandum aggredior. Quod ut ex voto cedat atque succe-

dat, summi Numinis auxilium clementissimum & Benevoli Lectoris favorem, atque in erroribus, si forte cespitavero, condonandis facilitatem submisse exoro.

§. II.

Vox Cancri est πολύσημος, in nativa enim & magis propria significatione denotat amphibium certum crustaceum; deinde Astronomi hac appellatione signum illud cœleste in Zodiaco occurrens indigitant, post cujus ingressum sol motu veluti retrogrado descendere solet. Porro fasciæ quandam speciem, quæ capiti convenit, & in plures partes, cancrorum pedes referentes, scissa est, chirurgi cancri titulo insigniunt. Receptissima autem vocis hujus significatio in arte Medica innuit quendam tumorem præternaturalem, qui, quoniam venas in ambitu inflatas & turgidas, ac pedes cancri divaricatos referentes exhibet, aut quoniam ad ἀκμὴν deductus vel exulceratus, sublivido-fuscum repræsentat colorem, denominationem suam hinc reportavit. Et illius derivationis fundamentum vero similius & convenientius apparet præ illo, quod *Forestus in Obs. Chirurg. Libr. IV. obs. 5.* suggerit, qui tumorem illum scirrhosum eam ob causam Cancrum appellari putat, quoniam hoc malum pariter, quod semel apprehendit, tenaciter, sicut cancri soleant, teneat atque premat. Præter hanc autem, quam recensuimus, usitatissimam denominationem, aliæ adhuc occurrunt appellationes, quibus passim a Scriptoribus salutatur Cancer. Sic nonnullis illum carcinum, nec non tumorem cancrosum appellare placet, nonnulli quoque illum Carcinoma, Phagedænam, Lupum nuncupant. Veteres vero eum Noli me tangere vocasse *Dolæus in Encyclop. Chirurg. Libr. V. Cap. VIII.* perhibet, eam forte ob causam, quia malum hocce truculentum sæpiuscule tangendo exasperari solet.

§. III.

§. III.

Præmiſſis igitur illis, quæ ad nominis evolutionem faciunt, rei ipſius eſſentia quo melius innoteſcat, opus eſt, ut ſequentem addamus definitionem. Eſt cancer tumor præternaturalis, partes ut plurimum molliores ſpongioſo-glandulofas infeſtans, durus, inæqualis, dolorificus, ſublivido-fuſcus, venas in ambitu turgidas & inflatas habens, puncturas ſubinde nec non lancinationes ſatis acutas formans, in ulcus tandem degenerans malignum valdeq; dolorificum, late partes vicinas depaſcens, cum labiis præduris & inverſis, fœtore intolerabili, dolore ineffabili, febre lenta, ſaniem nigram vel fulvam loco puris laudabilis ſtillans, quandoque etiam ſanguinem in larga ſatis quantitate plorans, miſeras ægras ad mortem usque comitans, imo recto gradu deducens.

§. IV.

Subjectum & locus, ubi truculentum illud malum ſedem ſuam occupare ſolet, ſunt, uti ex definitione ſupra data patet, ſpongioſo-glanduloſæ partes, & illud aſſertum noſtrum multæ confirmant obſervationes, quarum non nullas impræſentiarum recenſere nobis liceat. Sic *Foreſtus Libr. 7. Obſ. Chirurg. 17.* de excreſcentia cancroſa ſupra oculum ulcerata, in viro ſexagenario illoque quoque malo defuncto, literas nonnullas conſignavit; & de cancro horrendo & ſtupendo, in principio multos fallente, verrucæ non abſimili & ſub axilla latente *Panarol. pent. 4. Obſ. 33.* ſcribit. Oculum quoque ab illa tyrannide immunem non manſiſſe, *Ephemerid. N. C. Dec. II. An. 6. obſ. 72.* teſtantur, ubi *Valentinus* de periculoſo cancro in oculo virginis, extra orbitam jam ob nimiam inflammationem acto, refert, quæ quoque illo malo mortem ſubire fuit coacta. Nares illum quoque infeſtaſſe 51. *obſervatio Borelli Cent. II.* docet, qui ruſticum cancro narium obſeſſum in medium profert, illumque ſolo onopordi contuſi

fucco curatum fuiſſe ingenue fatetur. *Hildanus Obſ. Chirurg. Cent. I. obſerv. 30.* tria enumerat exempla illorum, qui in prima juventute in gingivis cancroſam excreſcentiam ſumma cum moleſtia & vitæ tandem cum morte commutatione pertulerunt, & *Cent. 3. obſ.* 84. de cancro linguam obſeſſo hiſtoriam notatu dignam a Valentino Rolando communicatam ſuggerit. Pariter *Barthol. Hiſt. Anat. 26. C. 1.* de genarum cancro mentionem facit. Si quis quoque *Stalpart van der Wiel, C. I. obſ. 87.* evolvet, inveniet ibi exemplum fungi cancroſi, in interiore matricis parte hærentis, & porro *obſ.* 88. fœminam cancro meatus urinarii laborantem in medium producit. *Rhodius Cent. III. obſ. 45.* ſatis memorabilem refert hiſtoriam, de muliere mediæ ætatis, cujus uterus, cum inſigni tumore aquoſo teſticuli, cancroſus apparuit, & *obſ. 39.* pariter de mediæ ætatis ruſtico tradit, quod ille ex gonorrhœa ante quinquennium contracta præputium cancroſum reportaverit poſt concubitum cum uxore, dum ei menſes fluerent. Quem tandem *Ephemerides N. C.* evolvere non piget, multa exempla reperiet eorum, qui cancro laborarunt. Sic *Dec. I. Ann. I. obſ. 99. Hertod. a Totenfeld* memorat de viro 42 annorum, qui repentinam mortem ex cancroſo pancreatis ulcere eſt aſſecutus; & *Dec. II. An. 3. obſ. 125. Muraltus* ægrum XXII. annorum ſiſtit, qui, cum rem cum meretrice habuiſſet, bisq; lue venerea infectus ſalivatione liberatus eſſet, dein vero tandem penis cancrum contraxiſſet. Quandoque tamen quamquam rariſſime loca ſane inſolita cancrum infeſtare oſtendunt obſervationes. Sic *Hildanus Cent. I. obſ. 89.* meminit de viro, qui in natibus tumorem cancroſum, vehementibus & gravioribus Symptomatibus ſtipatum, per multos annos eſt perpeſſus, & *Tulpius Obſ. Med. Libr. IV. Cap* 38. de calculoſo refert, quod ille urinam per anum reddiderit, nec non veſicæ cancro laboraverit, & denique *Ephemerid. N. C. Dec. I. An. I. obſ.* 5. de puerulo unius anni tradunt, quod cancro dentis laborans ſupremum ſubiverit diem.

§. V.

§. V.

Frequentius tamen imo ſæpisſime Cancer Mammas fœminarum infeſtare ſolet. Cujus mei aſſerti non ſolum teſtes eſſe poſſunt innumeræ prorſus illæ obſervationes, quas *Amatus Luſitanus*, *Hildanus*, *Sennertus*, *Schenckius*, *Scultetus*, *Bartholinus* aliique ſtudioſe collegere; ſed experientia quotidiana hujus rei veritatem extra omnem dubitationis aleam collocat: imo ne mamillæ quidem virorum, uti aliis in circumſtantiis aliquando mammas muliebres æmulantur, ab hoc malo immunes fuiſſe obſervatæ fuerunt, teſte *Hildan. Cent.* 1. *obſ.* 89. Quare abs re non fuerit, ſi nunc in mammarum ſtructuram paulo curatius inquiramus. Mammæ itaque ſecundum legem numerantur duæ, fieri tamen quandoque ſolet, ut natura fœminis tres pluresve mammas concedat. Sic *Thom. Barth. in M. N. C. Dec. I. An.* 2. *obſ.* 72. mentionem facit cujusdam mulierculæ, cui tertia mamma in dorſo conſpicua ſine papilla eminuit, & *Joh. Walæus* in quadam fœmina tres mammas ſe vidiſſe ſancte teſtatur: porro *Olaus Borrichius*, nec non *Gerh. Blaſius* totidem mamillas in certa quadam fœmina obſervarunt, & *Lanzonius* Ferrariæ in fabri lignarii uxore tres pariter mammas invenit. Vid. *Ephemerid. N. C. Dec. II. An.* 9. *obſ.* 55. His obſervationibus quoque adjungi merentur exempla fœminarum trimammiarum a *Bonetto in Medic. Sept. P.* 2. *p.* 155. adductarum. Has tamen omnes adductas raritate ſuperat obſervatio illa *Cabrolii*, ubi affirmat, ſe in quadam muliere quatuor compexiſſe mammas. Solent autem mammæ pro juſto debitoque ſitu pectus agnoſcere, natura tamen quandoque quanquam rarisſime illas aliis & inſolitis locis affigit. Sic *Muralt. in M. N. C. Dec. II. An. I. obſ.* 88. hiſtoriam lectu notatuque dignam de puella quadam recenſet, quæ ex matris gravidæ phantaſtica impresſione, cum nempe illa uber vaccinum in horreo quodam ſuſpenſum vidiſſet, vaccino pariter ubere

cum

cum tribus papillis ad inguen dextrum prædita fuit, illud quoque per 19 annos ferre fuit coacta, ubi postea monstrificum illud uber post illius mortem amputatum 73 libras civiles pependit. Hæc autem prout non solum rariora, sed etiam pro naturæ erroribus habenda sunt: ita ordinaria utique illarum sedes omnino est anterior pectoris pars, & semper musculis pectoralibus sunt superinstratæ. Ita, ut in quolibet latere una mamma non tam in ornatus quam commodioris lactationis gratia sit posita. Figuram illarum quod concernit, hæc pro diversa ætatis vitæque constitutione variare solet; rotundam enim figuram dimidiique globi faciem repræsentat in fœminis junioris & mediæ ætatis, cum e contrario in gravidis & lactantib9 ob frequentiorem lactis secretionem mammarumque intumescentiam, inæqualé nanciscantur figuram organa illa lactifera; in senibus vero, quando mensium fluxus cessare incipit, mollescunt, flaccescunt, nec præter pelles quicquam quam papillas conspectui sistunt. Magnitudinem quod spectat, illam rite determinare non possumus: pro regionum enim diversitate diversa quoque mammarum observatur magnitudo. Sic *Dionis in Demonstr. Anat.* 5. de pectoris partibus p. 252. scribit, quod Indicæ Siamensesque fœminæ adeo prolixas habeant mammas, ut illas & super humeros pro lubitu rejicere possint. Porro pro subjectorum differentia mammarum moles discrepat, reperiuntur enim mulieres, quibus natura exiguas, aliæ, quibus easdem magnas efformavit. Sic *Schenck. Observat. Medicinal. Libr.* 2. *fol.* 331. de muliere prolifera & quandoque uno partu gemellos edente scribit, quod tantum mammis virilibus fuisset exornata, & nullum est dubium, quin hodiernis temporibus multæ mulieres exiguis mammis præditæ occurrant. De mammis vero stupendæ magnitudinis *Schenkius* cumprimis l. c. memorat, quod virgo juvencula brachiorum latera ventrisque partem superiorem illis tegere potuisset, & de prodigiosa harum magnitudine ad 30 librarum pondus accedente *Borell. Cent. I. obs.* 48. historiam memorabilem

bilem ſuggerit,uti de incremento & ingenti mammarum mole *Salmuth. Cent. II. Obſ. 89.* nec non *Th. Barthol. Hiſtor. Anat. 46. Cent. 3.* nonnulla proferunt exempla. Juſtam autem & debitam illarum magnitudinem Phyſiologiæ ſcrutatores ab ætatis diſcrimine deducere allaborarunt; nec immerito: in puellis enim, infra 14 annum conſtitutis, præter papillas nullam aliam turgeſcentiam cernimus; annum vero 14 ſupergreſſis menſiumque fluxui obnoxiis, illas ſororiari ſemique globuli figuram præ ſe ferre, nec non duras ac ſolidas evadere animadvertimus.

§. VI.

Quia autem in mammarum meditullio exilis prominentia conſpicitur, quæ multa inſuper commemoratu digna exhibet, Anatomici organon lactiferum in mammam proprie ſic dictam & papillam diſpeſcere fuerunt commoti. Mamma itaq; proprie ſic dicta, quoad faciem externam cute cuticula tecta cingitur, qua detecta interiora penetramus, ibique ſubſtantiam, varia vaſa, nec non aliqualem pinguedinis portionem invenimus. Subſtantiam quod attinet, illam plurimi Anatomicorum pro glanduloſa habuerunt. Exquiſitiſſimus autem hujus ſeculi Anatomicus *Frid. Ruyſchius in Theſ. Anat. III. p. 31. n. & in Ep. Problem. 15. p. 10.* illam vaſculoſam atque ex meris vaſis ſanguifluis lactiferisque conflatam eſſe adſtruxit. Quoniam vero & glandulæ ſunt nonniſi variorum vaſorum congeries, non video, quid obſtet, quo minus ſic utrorumque ſententiam amplectamur: glandulas enim adeſſe lactis ſecretio luculenter teſtatur. Quemadmodum autem glandulæ & aliæ partes certis ſuis vaſis gaudent, ſic & hic vaſa advehentia, revehentia, ut & excretoria habemus. Ex advehentium numero primum arteriæ mammariæ tum externæ tum internæ oculis obveniunt, quoniam aliæ externam, aliæ internam uberum partem pervadunt atque irrorant. Priores ſeu

externæ ab axillaribus ortum ſuum deducunt, & mammarum nutritioni cumprimis inſervire *Dionis* in *Demonſtr. Anatom. V. de pectoris partibus p. 255.* evincit. Poſteriores autem ſeu internæ a ramo ſubclavio prodeunt, quæ omnes ad ipſas tendunt glandulas, ibique ſanguinem arterioſum pro ſecernendo lacte deponunt. Advehentium vaſorum numero & nervorum rami, tum a quinto ſpinali ſive dorſali pari, tum a plexu circa claviculas, provenientes per omnem glandularum ſubſtantiam diſſeminantur, & tandem in extremas papillas colliguntur, qui non ſolum ſenſum exquiſitum largiuntur, ſed & ſucci lactei ſecretionem promovent. Revectioni deſtinatæ ſunt venæ mammariæ, & externæ & internæ, quarum priores in thoracicas, poſteriores vero in ſubclavias ſanguinem ſuperfluum reducunt. Venæ lacteæ ſeu ductuli lymphatici pariter inter vaſa reducentia referuntur, quas omnes in ductum thoracicum lateraliter inſeri *Verheyen* cum aliis celeberrimis Anatomicis arbitratur. Vid. *ej. Anatom. corporis human. Tr. III. Cap. I. p. 230.* Præter nominata vaſa alii peculiares ductuli, tubuli lactiferi Anatomicis nuncupati, conſpiciuntur, qui non ſolum glandularum excretorii, ſed & receptaculi munere funguntur, quoniam non ſolum materiam lacteam a glandulis recipiunt, ſed & intermiſſæ ſuctionis tempore ad copioſam usque cumulationem conſervant. Illi ductuli originem ſuam glanduloſæ mammarum ſubſtantiæ debent, & ſurculis admodum tenuiſſimis ſenſim coeuntes, diverſos tandem truncos, in papillam oſculis utcunque patentibus deſinentes, conſtituunt, vid. *Verheyen l. c.* His quibuscunque vaſis atque glandulis copioſa pinguedinis portio eſt intertexta, eum forte in finem, ut glandularum nimirum interſtitia repleat, ſimulque vaſa iis copioſiſſime interpoſita aliqua ex parte ſuſtentet.

§. VII.

§. VII.

Antequam Anatomicam mammarum explicationem plenarie relinquimus, non possumus non antea de papilla nonnulla facere verba. Hæc situm suum naturalem in media & superiore mammæ parte agnoscit, & in quolibet ubere unica tantum apparet papilla. Duas quidem in quolibet ubere non multum inter se distantes se conspexisse *Borellus Obs. Med. 49. Cent. I.* gloriatur; ast casus rarissimus. Hæc papilla in virginibus pallido, gravidis & nutricibus obscuro, vetulis autem lurido circulo, areolæ nomine insignito, circumducitur, in quo papillares quædam protuberantiæ spectantur, ex quibus interdum humor quidam limpidus emanare solet. Substantia, qua pollet, penis glandis substantiæ non absimilis est, ideoque illam Anatomici pro fungoso spongiosa agnoscunt, imo non immerito papillam *Bidloo T. 19.* fasciculum tubulosum vasorum præsertim lactiferorum, glandulosa textura interne & externe obvolutum, nuncupat, & observarunt curiosi, illorum vasorum ostiola in suprema papillæ parte numero prorsus infinito reperiri. Porro in papilla omni sanguine lacteque depauperata, inflata, atque in liberiori aere exsiccata duplicem fibrarum seriem, ipsi integumento firmiter annexam, microscopii subsidio deprehenderunt nonnulli, quarum alteram e majoribus reti-formibus, alteram vero e subtilissimis fibris regularem ordinem servantibus contextam, exiguisque admodum variæ formæ foraminibus pertusam esse Excellentissimus *Pauli*, Patronus & Præceptor meus ætatem devenerandus *in Not. ad Joh. van Horne Opusc. Anat. p. 268.* solerter annotavit. Hincque demonstratu difficile non esse arbitramur, cur nempe papillæ ex contrectatione & infantum suctione perfacile erigantur, quia sanguis prompte æque ac in penis substantia, copiosiori copia fibrarum interstitia distendit.

§. VIII.

Usus Mammarum consistit in eo, ut portionem chyli, sanguini per ductum thoracicum affusi, ab eodem iterum separent, qui postmodum a purpureo hoc latice denuo sequestratus, atque in peculiaria vascula congestus, mox nativa sua albedine dulcique sapore sese prodit, usitataque lactis appellatione insignitur. Lac autem chylum esse parum adhuc alteratum, testantur qualitates illæ a cibo potuque assumto chylo impressæ, quæ etiamnum in lacte superstites observantur. Ita v.g. nutrix, hausto purgante vel alio medicamento, vim illam medicamentosam tenello suo alumno mediante lacte communicat. Lac a nimio absinthii usu sapore summe amaricante infectum, imo lactationi ineptum redditum fuisse *Borrichius annotavit in Act. Haffn. Vol. II. obs. 162. p. 165.* Neque etiam rei œconomicæ peritis ignotum est, quam facile lac bubulum, imo etiam butyrum ex tali lacte paratum, odorem & saporem ingratum alliaceum contrahat, si vaccæ allio ursino, aut etiam scordio copiosius tum pastæ fuerint. Interim liquor hic lacteus ob minus arctam particularum, ex quibus constatur, mucido-pinguium cum aqueis unionem, harumque succesionem facillimam, non solum prompte admodum grumescentiam & coagulationem caseosam incurrit, sed & corruptioni acido-salsæ facillime fit obnoxius.

§. IX.

Non sine rationibus satis prægnantibus paulo latius hæc deduximus. Siquidem ex glanduloso-tubulosa hac textura mammarum, earumq; officio, quo lactis penuaria a natura constituta sunt, genuina ætiologia innotescit, cur malum hoc mammis adeo familiare & fere domesticum existat. Inde enim ad oculum patet, quam facile sanguis in angustis his meatibus

atibus subsistere, coagulari, atque cum lacte, pariter stasin aco-
remque concipiente, sociam corruptelam subire possit. Et in
hac corruptione putrido-salsa malignitatis cancrosæ naturam
consistere, pleræque circumstantiæ evincunt. Sanguis enim
motu suo progressivo privatus, hincque tanto vehementiorem
motum intestinum concipiens nullam aliam corruptionis spe-
ciem promptius subit, quam sphaceloso - putredinosam.
Lympha contra in corruptelam salsam, rodentem, & Lac speci-
atim in acescentem grumescentiam propendet. Dum igitur
vel a causis externis violentis v. g. duriore allisione, pun-
ctura, dolorifica vellicatione crispatoria mammarum, vel et-
iam a causis internis, sanguinis spissitudine præternaturali, aut
particularum terrestrium acidarũ in eo abundantium copia, ac-
cedente forte animi commotione pathetica, imprimis vero ter-
rore repentino, sanguinis stasis & coagulatio in angustis illis ca-
naliculis porulisq; contingit, emergit inde nodulus duriusculus,
ab initio satis exiguo, vix ciceris, pisi aut nucis avellanæ magni-
tudinem superans, ob spasticam tamen fibrarum vicinarum stri-
cturam, leves subinde puncturas, ardores & lancinationes per
vices recrudescentes formans. In hoc statu sæpe diu satis ma-
lum persistit, donec majori sensim particularum viscidarum
copia inibi collecta & coacervata, plures succesive tubuli ob-
struantur, imo ad rupturam usque infarciantur, ut hinc non
solum tumor augescat, atq; ad prodigiosam sæpe molem excre-
scat; sed & a sanguine coagulato, per cutem transparente, colo-
rem lividum, plumbeum induat, vasaque circumjacentia pari-
ter livorem & varicosam turgescentiam incurrant. Nihilo
minus & tunc in statu utcunque tolerabili diu interdum per-
severat: nisi quod dolores pungitivi, ardentes, rodentes
& crebrius & vehementius infestent. Postquam vero per
improvidam emollientium vel acriorum irritantium applicati-
onem, aut etiam internum MSneæ orgasmum humo-

rum tenuiorum affluxus, & hoc modo coaguli ſpiſſioris dilutio concitatur: coercita hactenus fermentativo-putredinoſa ſanguinis indoles ſeſe exerit, particulæque ejusdem ſulphureæ mobiliores, e nexu reliquarum exſolutæ in vicinas partes contagium diffundunt. Inhibetur equidem qvadantenus putredinoſa hæc corruptio, quo minus adeo præcipiti progreſſu, ut in ſphacelo contingit, proſerpat, per præſentiam ſeri ſubſalſi & caſeoſam lactis muceſcentiam. Interim enaſcitur hinc acerrima ac pene cauſtica acido-corroſiva virulentia, non ſolum tubulos, quibus inhæret, exedens, ſed & partes circumjacentes late depaſcens, indeque dolores atrociſſimos, fœtorem intolerabilem & fere cadaveroſum, ſaniei nigricantis, aut ichoris flaveſcentis vel ſubcruenti, imo largam ſangvinis ſinceri ex vaſis eroſis, emanationem inferens. Imo communicatur tandem labes hæc toti maſſæ humorum, reſorptis ſubinde per vaſa venoſa & lymphatica particulis ejusmodi corruptis, indeque univerſalis dyſcraſia ſanguinis, ſpirituumque perturbatio ſumma exoritur, quæ non ſolum febrem lentam, ſed & concurrente imprimis & augeſcente dolorum atrocia, vigilias asſiduas, anxietates ſummas, animi crebriora deliquia, & denique omnium ærumnarum finem, mortem inducit.

§. X.

Cauſa igitur proxima mali adeo efferi imo feralis eſt ſtaſis ſanguinis in tubulis porulisque ſubſtantiæ glanduloſæ mammarum, cum latice ſeroſo-lymphatico & ſpeciatim quidem hic chyloſo-lacteo, pariter ibidem ſtagnante & aceſcente, corruptionem putrido-ſalſam, quin acido-corroſivam ſubiens. Unde non male *Heurnius Comment. in Hippocrat. Aphor. 38. Sect. VI.* duplex in cancro venenum, unum putrefactivum, alterum corroſivum accuſat, eaq; ſeſe mutuo exaſperare tradit. Pullitiem verminoſam in ejusmodi colluvie humorum computreſcentium propullulare poſſe,

posse, imo interdum actu provenire, non equidem diffitemur. Prostant enim variæ observationes, quæ verorum vermiculorum præsentiam ac proventum in ulceribus cancrosis ipsa avtopsia comprobant, vid. *M. N. C. Dec. I. Ann. 2. Obs. 148. p. 232. it. Append. ad Ann. 4. Dec. II. Obs. 22. p. 199.* nec non *Plater. observ. Libr. II. p. 533.* Semper tamen progeniem verminosam adesse, imo ipsum cancrum nil nisi innumerorum vermiculorum mirifice fœcundorum farraginem existere multa sunt, quæ dissvadeant. Et negant hoc rotunde *Dolæus in Encyclopæd. Medico-Chirurg. Libr. V. Cap. 8. p. 1158. ut & Musitanus in Trutin. Medico-Chirurg. P. II. Cap. 23.* provocantque ad ocularem inspectionem carnis talis corruptæ, ex ulcere cancroso exscissæ, etiam per microscopium adjutam, quæ nullos vermiculos, sed eorum loco humorem viscidum gelatinæ similem visui obtulisset. Imo si vel maxime numerosa talis verminosa soboles adesset; vix tamen causæ, sed producti solummodo rationem haberet.

§. XI.

Causæ remotæ seu antecedentes possunt esse sanguis justo spissior & copiosis particulis terrestribus prægravatus, lympha præter naturam viscidior, ac serum acrius, sæpe per actuales ulcerationes in aliis partibus hinc inde productas sese prodens, imprimis vero difficilis lactationis successus & sæpius jam tolerata a lacte coagulascente in mammis incommoda, fluxus menstrui suppressio, aut intempestiva cessatio. Quibus si demum causa aliqua procatarctica v. g. ulcerum talium, in parte aliqua diutius gestatorum & valde manantium, præpropera occlusio, ipsius mammæ violenta allisio, durior ac dolorifica contrectatio, terror ex improviso incussus &c. accedat; opinione citius truculenti hujus mali genesis absoluta erit.

§. XII.

§. XII.

Specimen hujus rei luculentisſimum exhibet *D. Joh. Laur. Pehrius in M. N. C. Dec. II. An. ult. Obſ.* 76. ubi mulier, fluxu ſeroſo oculi, partesque vicinas ſubjacentes erodente, diu afflicta, ſatis tamen tolerabiliter ſe habuit, quamdiu fluxus menſium ſuccedebat, vel gravida erat, ita ut per 20 annorum ſpatium parum incommodi inde ſentiret, aut ſi forte dolores ingruerent, adhibitis remediis leniter evacuantibus, ſudoriferis ac menſes moventibus, prompte ab iisdem rurſus liberaretur. Poſtmodum autem vidua facta, cum in muſto exprimendo occupata eſſet „paulo fortius partem inferiorem mammæ ſiniſtræ premit. Remanet inde dolor in dicta mammæ parte, levior quidem, diutius tamen perſiſtens, qui cum anguem in herba latentem harum rerum peritis facile proderet, mitioribus laxantibus, diaphoretico-diureticis, VSne mitigatus, non tamen ſublatus fuit. Exigit ita in ſtatu ſatis tolerabili annum dimidium. At vero cum fluxus ſeroſus in facie evaneſceret, menſes etiam per ætatem jam ceſſarent, ſubito mutatur ſcena. Tumor, qui in principio vix avellanæ magnitudinem æquabat, veloci admodum progreſſu indies augmenta capiens, tandem in ulcus phagedænicum degenerat. Cui licet optima & efficacisſima remedia tam externa quam interna opponerentur, vix tamen coerceri potuit ſævientis hujus mali ferocia. Tandem ægra dolorum atrocia victa, ſpretis remediis methodo debita hactenus adhibitis, concredit ſeſe Chirurgo peregrino, qui per cauterium potentiale malum hoc indomitum perdomare audet, ſed cum eventu adeo ſiniſtro, ut poſt pauculos dies colli inflammatione, deglutiendi difficultate, omnimoda appetitus dejectione, ſumma virium debilitate corriperetur, neque etiam, utut ſepoſita & omiſſa rurſus cauſticorum applica-

plicatione, ullis remediis ſublevari poſſet, ſed nonniſi in morte demum dolorum ſuorum conſtans levamen inveniret.

§. XIII.

Poſſemus & nos hiſtoriam afferre non multum diſſimilem, Cancri mammarum ex ulcere pedis, difficiliorem menſium ſucceſſum inſecuto & diu ſatis tolerato, tandem vero conſolidato, poſt plenariam Catameniorum ceſſationem enati. Fœmina melancholico-cholerica, menſium fluxum jam inde a primis pubertatis annis & juſto parciorem & valde inordinatum experta, hinc in juventute ſua gutta roſacea inſigniter defœdata, aſt per ſectionem venarum raninarum eadem ex voto rurſus liberata, frequentiore poſtmodum in ætate conſiſtente eryſipelate pedum, poſt levem excandeſcentiam aut terrorem, affligi ſolita, incurrit aliquando in puerperio tumorem pedis dextri, quem mulieres adſtantes pro eryſipelate albo habent, variisque remediis empiricis oppugnant, ſed nimis officioſa ſua ſedulitate in ulcus valde dolorificum convertunt. Quod tumendo, dolendo, manando per plures annos ægram afflixit, nec vario remediorum apparatu, imo ne quidem uſu thermarum Carolinarum (licet menſtruum fluxum ex voto revocaſſent) perſanari potuit, tandem tamen per venæſectionem in oppoſito pede inſtitutam, fonticulumque in brachio excitatum, conjunctumque decocti lignorum uſum conſolidatum fuit. Vixit ita ſic ſatis tolerabiliter per ſexennium circiter, frequentioribus venæſectionibus ac ſcarificationibus, fonticulique aſſervatione ſublevata. Attamen cum fluxus

menstruus justo maturius cessaret, ipsaque ex vitæ genere laboriosiore ad otiosius transiret, novo eoque graviore malo fuit obruta. Nimirum dum aliquando improviso terrore cum intercurrente gravi indignatione percellitur, sentit inde dolorem repentinum punctorium in mamma sinistra, ac si cultro acuto transfigeretur, quem tamen utpote transitorium negligit. Post aliquot septimanas nodum exiguum in mamma prædicta animadvertit, qui licet non adeo eximie doleret, pedetentim tamen augmentum capiens, pejoris eventus metum incutit. Perterrita inde undique, ut fieri solet, auxilia anxie conquirit. Omnia tamen indies in pejus ruunt, tumorque mammæ sponte aperitur. Quo viso magis adhuc consternata, denuo ad thermas Carolinas confugit, sed redit afflictior, ulcere quotidie latius serpente, atque intra spatium vix semestre integram mammam depascente, quocum etiamnum misera misertime conflictatur.

§. XIV.

Differentia Cancri, seu distinctio ejusdem in species diversas, diversitati potissimum causarum ac symptomatum, quæ modo retulimus, superstruitur, imo ex dictis sua quasi sponte fluit. Videlicet Cancer est vel primigenius & primo statim exortu talis, vel aliis benignioribus tumoribus ulceribusve demum superveniens, quæ inde postmodum ulcera cancrosa, Krebs-Schäden/ nuncupantur. Dein alius cancer est evidens, partes exteriores, faciem, labia, penem, mammas infestans; alius vero latens, qui partes interiores, palatum, uterum, vesi-

vesicam urinariam obsidet. Porro alius est occlusus adhuc & nondum exulceratus, solo tumore, ardore, lancinatione molestus: alius vero exulceratus, qui corrosione, fœtore, hypersarcosi, sanguinis profusione, ægras ad internecionem usque discruciat. Cancer mammarum in specie est vel mobilis adhuc, qui nec musculos substratos pectorales atque intercostales, neque etiam glandulas vicinas subalares infecit; alius vero immobilis, latiusque ac profundius jam diffusus. Et hæ postremæ duæ distinctiones maximum in Praxi habere usum deprehenduntur: his ipsis quippe & prognosis & legitima tractatio therapevtica magna ex parte innititur.

§. XV.

Equidem quævis Cancri species, ex unanimi cordatiorum Practicorum consensu, malum est revera sonticum, atque ut satis apposite dixit *Musitanus in Trut. Medico-Chirurg. P. II. Cap. 23.* Medicorum opprobrium, ægrorum tormentum. Siquidem mitiora remedia spernit, fortioribus exasperatur. Exulceratus tamen occulto, seu non ulcerato longe truculentior existit, multoque citius ægrum in tumulum præcipitat, imo teste *Hildano Tract. de Gangr. & Sphacel. Cap. 7.* sæpe ne mitigationem quidem admittit. Occlusus ex adverso, qui cutem nondum exedit, neque in ulcus apertum degeneravit, sæpe diu satis in statu admodum tolerabili persistit: ita ut *Amatus Lusitanus Cent. III. Curat. 32.* testetur, se novisse nonnullas mulieres, cancros in mamillis habentes, quæ solo bono vitæ ordine, absque ullo medicamentorum topicorum irrita-

mento, per longum tempus vixiſſent ita incolumiter, ac ſi nullum paterentur morbum. Licet vero in præſenti malum ſatis leve videatur; in futurum tamen ſemper eſt periculo plenisſimum, atque poſt longam quoque annorum ſeriem, & juxta *Tulpii* Obſervationem, quam *Lib. I. Cap.* 47. tradit, etiam poſt 50. annorum moram lethiferæ exulcerationi obnoxium. Tumor cancroſus exiguus adhuc, aut mobilis ad minimum, ſectione perita feliciter ſæpe extirpatur. Qui vero arcte nimis muſculis ſubſtratis, vel ipſi perioſtio coſtarum annexus eſt, aut glandulis adjacentibus axillaribus contagium jam adſperſit, ne hoc quidem, utut extremo remedio, tolli amplius poteſt. Cancrum exulceratum malum contagioſum eſſe, virusque ſuum non ſolum cominus, ſed eminus quoque diſſeminare, contra receptam ſententiam negativam adſtruit ſolide *Tulpius Libr. IV. Obſ.* 8. & binis exemplis *l. c.* confirmat. Imo nec occluſum ſeu non exulceratum hujus culpæ inſontem eſſe, evincit obſervatio *Hildani Cent. II. Obſ. 78.*

§. XVI.

Therapevtica Cancri tractatio tria præcipue intendit, aut radicalem ejusdem extirpationem, aut providam ab ulteriore incremento, vel imminente exulceratione præſervationem, aut blandam mali, jam ad *ἀκμὴν* ipſamque ulcerationem perducti, mitigationem.

§. XVII.

Cancrum extirpare Herculeus profecto labor eſt

eſt, & quisquis hoc aggreditur, ſollicite expendat, quantum onus ſubeat. Imo vix aliud hic præſidium, quam ferrum & ignis ſupereſt. Extremis quippe morbis, monente jamdum *Hippocrate Sect. I. Aph. 6.* extrema debentur remedia. Equidem *Riverius Cent. I. Obſ.* 97. gloriatur, tumorem cancroſum, labium ſuperius obſidentem, in viro nobili a ſe percuratum ac reſolutum fuiſſe, ope imprimis extracti helleb. nigr. & Unguent. de ran. viridibus. Ita & *Scultet. in Armament. Chirurg. Obſ. 55.* exemplum affert cancri mammarum incipientis perfecte diſcusſi ac ſublati, per uſum internum potionis melanagogæ (quam pariter extract. helleb. nigr. ingrediebatur) externamque cerati Prævotiani, ex farina milii parati, applicationem. Sed raro ſimilis ſucceſſus idem tentantibus obtingit. Quare utplurimum ad ſectionem Chirurgicam confugiendum eſt. Neque tamen & hæc ubivis locum habet. Proprie enim cancro occluſo adhuc, ſeu nondum exulcerato debetur. Feliciter tamen aliquando in ulcerato quoque ſectionem cesſiſſe, teſtantur *Hildan. Cent. VI. Obſ. 22. Scultet. in Armament. Chirurg. Obſ. 52. Muralt. in Opuſcul. Chirurg. Obſ. 49. p. 247.* Interim & in occluſo, antequam exſciſſio tentetur, probe diſpiciendum, an ægra deſideret, viribus adhuc conſtet, an tumor cancroſus ſit mobilis adhuc, atque ita comparatus, ut ſectione radicitus auferri valeat? Quæ circumſtantiæ ſi auſui huic favere videantur, intrepide tunc hoc, utut horrendum remedii genus, efficacisſimum tamen & fere unicum, adhiberi poterit, pluresque de felici ejus ſucceſſu proſtant obſervationes v. g. apud *Hildan. Cent. II. Obſ. 78. Cent. III. Obſ. 87. Amat. Luſitan. Cent. III. Curat. 32.* It. *in Act. Haffn. Vol. I.*

 Obſ.

Obſ. 27. Quod ſi vero tumor cancroſus muſculis ſubjacentibus pectoralibus & intercoſtalibus, imo ipſi perioſtio coſtarum firmirer annexus & quaſi infixus hæreat, aut vicinas glandulas axillares ſimul infecerit, cacochymia inſuper univerſalis enormior præſto ſit, viresque jam valde exhauſtæ fuerint: tunc conſultius ſectio omittitur, & diſſuadet eam in ejusmodi caſu ipſe *Hildan. Cent. I. Ep.* 40. imo male cesſiſſe teſtatur *Scultet. Armament. Chirurg. Obſ.* 54. Ubicunque enim partes corruptæ funditus auferri non poſſunt, ibi malum priſtinum expectatione citius & majori cum atrocia recrudeſcit, cujus rei notabile ſpecimen, de Clitoride cancroſa infeliciter exſecta, exhibet *Petermann. Manud. ad Prax. Med. Cap. 5. §. 37. p. 84.* & plura quoque exempla tragica refert *Plater. Obſerv. Libr. II. pag.* 528-533. it. *Marchett. Obſerv.* 29. Ipſam vero operandi rationem fuſe ſatis exponit *Arcæus de Vuln. Cur. Libr. II. Cap. 3.* atque ex eo *Sennert. Prax. Libr. IV. P. III. Sect. I. Cap. 6.* ſuccinctius vero deſcribit *Horn. in Microtechn. Sect. II. P. I. §. 19.* it. *J. T. Brem. in Operat. Chirurg. Nuckian. Experim.* 30. Omnium optime vero cum encheireſibus & inſtrumentis neceſſariis illam tradit *Corn. Solingen. Libr. II. Cap. 4. p. 202. ſeqq.*

§. XVIII.

Sunt, qui loco ſectionis, remedii, ut ajunt, nimis crudelis, medicamenta cauſtica & eſcharotica ex mercurio, antimonio, arſenico parata commendant, v. g. *Poter. Cent. II. Obſ. 53. & 58. it. Cent. III. Obſ. 15. P. J. Faber Myrothec. Spagiric. L. III. c. 16. & Chirurg. Spagir. Sect. III. cap. 17. J.*

17. *J. Agricol. Not. in Popp. Part. I. p. 171. & 736.* Imprimis autem celebris fuit pulvis contra cancrum *Antonii Fuchsii*, Itali Medici Norimbergensis, qui tantam hoc ipso famam sibi peperit, ut communiter *Il Medico del Cancro* salutaretur. Hunc pulverem sibi ab ipso autore Stadæ ostensum esse scribit *Rod. a Castro de Morb. Mulierum Part. II. Libr. I. cap. 22. p. 145.* fuisse illum coloris cinerei, valde ponderosum adeoque procul dubio metallicæ prosapiæ. Imo genuinam ejus descriptionem, cum Arcano contra cancrum *Penoti* propemodum coincidentem, sese obtinuisse testatur *Hildan. Cent. VI. Obs. 81.* Totam autem compositionem & applicandi methodum prolixe exponit *Sennert. Prax. Libr. IV. Part. III. Sect. I. cap. 6. p. 502.* illum conflari asserens ex arsenic. alb. per Spirit. vin. correct. ℥j. rad. dracuncul. maj. pulverisat. ℥ij. fuligin. splend. ʒiij. hæc accurate mixta per annum ad minimum asservanda esse, antequam in usum trahantur. Utut vero talia in ulceribus cacoëthicis locum, imo interdum usum evidentem habere possint; in Cancro tamen serio illa dissvadet *Hildan.* adductis in eam rem quamplurimis tragicis exemplis, *Cent. VI. Obs. 22. 80. 81. & Tract. de Gangræn. & Sphac. Cap. 5.* cui suum quoque calculum adjicit *Barbette Chirurg. Part. II. Libr. I. Cap. 13. p. 130.*

§. XIX.

Curatio præservatoria, quæ tumoris cancrosi velox incrementum, aut exitialem ulcerationem præoccupare studet, tria potissimum requirit, universalis dyscrasiæ humorum correctionem, copiosioris ad partem affectam affluxus aversionem, sollicitam emollientium pariter ac irritanti-

tantium fugam. Exequimur hæc per mitiora laxantia, blanda diaphoretico - diuretica, ſive ſanguinem purificantia, circumſpectam fluxus menſtrui promotionem, tempeſtivas venæſectiones, & prudentem topicorum modeſte repellentium ac diſcutientium uſum.

§. XX.

Inter laxantia a plerisque Practicis hic extolli, aliisque præferri ſolet Helleborus niger, in humoribus crasſioribus, & veterum ſtylo melancholicis, evacuandis inprimis perutilis, adeo ut ſint, qui hujus remedii ope cancrum incipientem interdum perfecte eradicari poſſe, ſuſtineant. Confer *Obſervationes* ſuperius *§. 17.* ex *Riverio & Sculteto allegatas, ut & M. N. C. Dec. III. Ann. I. Obſ. 1.* ubi contractura inveterata & tantum non deſperata ſolo uſu extracti hellebori nigri prodigioſe veluti perſanata traditur. Datur autem commodisſime, vel in forma extract. cum Mercur. dulci & levi ſtimulo ex reſin. Jalapp. in pilulas redactus, vel in infuſo aut decocto cum fol. Senn. rad. Rhabarb. polypod. Cichor. herb. Epithym. Capill. vener. aliisque aperientibus ſociatus, quo ſpectat helleboriſmus Matthioli, *a Rod. a Caſtro de Morb. Mulier. Part. II. Libr. II. Cap 3. p.* 187. deſcriptus & correctus.

§. XXI.

Dyſcraſiæ humorum acido - viſcidæ corrigendæ inſerviunt, & lymphæ ac ſanguinis recrementa per diureſin & diaphoreſin eliminant variæ Tincturæ Antimoniales, ſive illæ ab

læ ab additis ſalibus aut ab ipſo antimonio vires ſuas mutuentur: Siquidem nota ſunt magnifica Paracelſi de mirifico amborum effectu promiſſa: quippe qui balſamum Samech ſeu ſal Tartari edulcoratum omnium ulcerum malignorum domitorem appellat, Antimonium vero corpus humanum perinde ut aurum ab omnibus impuritatibus repurgare aſſerit. Imprimis vero famam in hoc caſu conſecuta ſunt decocta lignorum. Detur tamen opera, ut acriora illa & calidiora v. g. Gvajac. Saſſafr. cum temperatioribus, rad. Saſſaparill. glycyrrhizæ &c. rite ſocientur, ne juſtam Martiani reprehenſionem incurramus, qui illa ob nimiam exſiccandi facultatem huic affectui minus quadrare exiſtimat.

§. XXII.

Habent hæc uſum potisſimum, ubi ſenſibiliores dolorum exacerbationes ingruunt, & poſſunt iis interponi antimonialia fixa cum abſorbentibus & cinnabarinis. Quibus inſuper maximum pondus addit, imo cunctis fere præponderat fluxus menſtrui expeditio & revocatio. Conſtat enim multijuga experientia, quod malum hoc, quamdiu rite fluunt catamenia, minime ita præcipiti progreſſu invaleſcat, quam quidem promptiſſime fieri ſuevit, ſimul ac vel per ætatem vel propter cauſas præternaturales fluxus iſte penitus exſiccatur. Id quod præter obſervationem ſupra ex *M. N. C.* allatam tribus exemplis confirmat *Celeberrimus Wedel. Diſſ. de Cancro Mammarum §. 38. 39. 41.* Tentetur tamen id ipſum quoque nonniſi remediis lenioribus. Siquidem teſte *Experient. Waldſchm. in Ann. ad Chir.*

 Barbett.

Barbett. p. 398. omnia, quæ massam sanguineam fortius exagitant, cancro sunt infensissima. Facile enim universalis motus turgefactorius massæ humorum inducitur, & loco speratæ revulsionis major ad partem affectam affluxus concitatur: id quod fortiora ista pollentia emmenagoga nunquam non præstant; imo etiam metam, cui proprie destinantur, menstrui scilicet fluxus reserationem rarissime attingunt, & plerumque obstructionis pertinaciam augent. Confer *Histor. Morb. Vratislav. grassant. Ann. I. p. 71.* Præterea dentur etiam huic scopo destinata remedia non nisi justis temporum opportunitatibus, i. e. circa illas lunæ phases, quibus antea sanæ fluxum menstruum expertæ sunt. Monente enim jamdum *Walæo Meth. medend p. 87.* alienis temporibus exhibita, effectu destituuntur, si leniora sunt; sin fortiora, periculum creant gravissimum, sed cum hæc alterius sint loci; non diutius iis immorabimur.

§. XXIII.

Quod si vero, ut non raro contingit, nulla hujus excretionis naturalis revocandæ spes supersit, aut ipse fluxus impeditius & parcius procedat; necessariæ utique sunt sanguinis ventilationes artificiales, per venæsectiones in pedibus, si fieri possit instituendas, & juxta *Celeberrim. Volckammeri monitum, Observationi 76. Ann. ultim. Dec. II. Ephem. N. C. adjectum*, quater in anno, aut ad minimum bis circa æquinoctia repetendas. Neque enim hic illos audiendos existimo, qui venæsectiones hic inutiles aut plane noxias censent, aut delectum partium inferiorum præ superioribus saltem dederint. Hos etenim vel unica

Fe-

Foresti observatio solidissime refellit quam *Libr. XXVIII. Obs.* 3. recenset, ubi juvencula rustica ex venæsectione ipsis catameniis fluentibus administrata eorundem suppressionem incurrit, & postmodum singulis periodis menstruis palpitationem molestam, in brachio illo, ubi vena fuerat secta, persensit; sola tamen venæsectione in talo tum ab hac molestia, tum a suppressione mensium liberata fuit. Præter venæsectiones vero possunt etiam quandoque usum habere fonticuli, in his præcipue subjectis, quæ antehac ulcera multum manantia in aliis partibus diu gestaverunt & post horum occlusionem malum hoc incurrerunt.

§. XXIV.

Topica sint moderate repellentia & discutientia, v. g. Succ. cicutæ, solani, sempervivi, herb. Roberti. s. Geranium, aqua ex similibus per alembicum plumbeum destillata, juxta *Hildan. Cent. I. obs. I.* Saccharum saturni in prædictis succis aut aqua solan per multiplici a cohobia parata solutum, cataplasma ex cochleis & cancris vivis contusis, linimentum ex luto, quod in cote, dum ferrum acuitur, colligi solet a *B. Langio* commendat. in *Chirurg. Libr.* 4. *obs.* 5. oleum rosaceum diu in mortario plumbeo, donec nigrescat, tritum, & cum cerussa ac lithargyr. remixtum; imo omnia fere ex plumbo parata, emplastr. Saturnin. Mynsicht. diampompholyg. de ranis cum Mercur. vigon. miraculos. seu saponat. Barbett. ceratum de farina milii Prævotii, quod *Fabr. ab Aquapend.* in acceptis ferre scribit *in Medic. Paup. p.* 738. & plenius exponit inter remedia sua secretiora *p.* 25. Im-

primis vero a Paræo laudatur lamina plumbea tenuior imposita, & referunt *Ephem. N. C. Dec. I. An. 4. obs. 161.* ejusmodi laminam plumbeam per duos menses gestatam, in medio erosam, atque in pulverem albicantem redactam fuisse. Addunt nonnulli Mercur. vivum, quo talem laminam illinunt. Sed male id aliquando cessisse scribit *Barthol. Cent. I. histor. 7.* ita ut non solum cruciatus inde adaucti fuerint, sed & aperto postmodum tumore, tum ex ipso ulcere tum ex scapulis magna argenti vivi copia exsudarit. Discutientia v. g. Spir. Vin. camphorat. saltem eminus & in circumferentia, non ipsi tumori applicentur. Emollientia vero ac suppurantia cane pejus & angue fugienda sunt. Nam certo certius cancrum occultum inulceratum h. e. affectum tolerabilem in malum immedicabile convertunt, id quod *Hildan.* variis funestis exemplis confirmat *Cent. I Obs.* 89. & huc potissimum effatum *Hippocratis* pertinere existimat, quod habetur *in Aph.* 38. *Sect. VI.* Quibus cancri occulti nascuntur, non curari præstat: curati enim subito intereunt; non curati vero diutius vivunt vid. *Hildan. Cent. III. observ.* 87.


§. XXV.

Mitigatio Cancri exulcerati tria involvit dolorum atrociorum lenitionem, fœtoris & hypersarcoseos cohibitionem, hæmorrhagiæ, si quando violentius erumpat restrictionem. Obtinemus hæc, aut intendimus ad minimum, partim per interna, partim per externa remedia. Interne conveniunt supra jam laudata blanda laxantia, absorbentia

bentia, inter quæ præ reliquis Cryſtall. mont. præparata commendari ſolet, cum antimonio diaphoret vel ceruſſ. antimon. & tantillo cinnabaris. Sæpe etiam dolorum ferocia anodyna requirit, & quidem doſi ut plurimum auctiori aut ad minimum repetita, qualia exempla proſtant apud *River. Prax. Libr. XV. Cap. 19. Tulp. Libr. IV. obſ. 38.* Externe ad dolores complacandos a quam plurimis miris effertur laudibus unguent. de ran. virid. deſcriptum a *Riverio, Cent. I. Obſ.* 97. it. *a Rod. a Caſtro de Morb. Mul. P. II. Libr. I. Cap. 22. p. 134.* nec non Cerat. Oxelæum & liniment. ſimpl. *Scultet. Obſ.* 52. & 56. commendatum, porro pulvis ex amalgamate plumbi & argent. vivi cum tantillo mercur. vitæ concinnatus, cujus præco eſt *Tulp. Libr. I. Obſ. 47.* Inſerviunt etiam huic ſcopo flores zinci, Magiſter marcaſit. nihil. alb. & pleraque ſaturnina. Memoratu dignum eſt, quod refert *Maur. Cordæus Comm. 7. in Libr. I. Hipp. de Morb. Mul.* de fœmina nobili, cancro exulcerato totam faciei dextram partem occupante, obſeſſa, ſummiſque doloribus miſere excruciata, quæ, cum variorum Medicorum tam indigenarum quam exterorum conſiliis & auxiliis nec quicquam levari potuiſſet, tandem ſimplici hoc a vulgari barbi-tonſore ſubminiſtrato remedio convaluit: pullos gallinaceos in partes tenues & latas concidebat, quas ſæpiuſcule commutando ſubinde parti affectæ admovebat. Unde non ſolum dolores ſedati, ſed ipſa quoque perfecte reſtituta fuit. Ad fœtorem fœdamque hyperſarcoſin coercendam vix efficacius proſtat remedium quam aqua calcis vivæ cum tantillo Mercur. ſublimat. Hæmorrhagias vero violentius erumpentes præſentisſime compeſcit ſpirit. Vin. rectificatiſſ. qui non immerito poſitive adſtringentibus in hoc caſu præferendus.

Conf. *Magnif. Dn. Doct. Bohnii, Patroni & Præceptoris mei ad urnas colendi Programm. de Arcan. Med. Diss. de choler. præmiss.* Imo quandoque solius aluminis in aqua plantaginis soluti applicatio tepida, miram hoc in passu præstat efficaciam. Laudant alii ad ulcus sordidum detergendum sal fuliginis vel stercus humanum combustum, alii balsamica interponenda suadent. v. g. solutionem myrrhæ in ovi ad duritiem cocto deliquescentis, vel ipsius tinctur. cum essent. Succini. sed poterunt prædicta, si prudenter usurpentur, sufficere.

S. D. G.



LECTORI BENEVOLO

FACULTATIS MEDICÆ LIPSIENSIS

p. t.

PROCANCELLARIUS

D. IOHAN. GVILIELMUS PAULI,

ANAT. & CHIRURG. P. P.

S. P. D.



J. J.

INter omnes solidas corporis animalis partes, quanto frequentiores deprehenduntur glandulæ, quantoque frequentior harum mentio injicitur, tanto spissioribus tenebris earundem conformationem ac diversitatem esse circumfusam, vel ex ipso Clarissimorum Anatomicorum & Physiologorum de talibus luculenter elucescit dissensu. Dissensum equidem fusius nolo nunc commemorare, quem magni nominis Viri, *King*, *Malpighius*, *du Verney*, *Bellinus*, *Bidloo*, *Pitcarnius*, *Vieussens*, *Bœrhaave*, *&c.* de glandularum structura in genere inter se foveant; nec, in quantum circa discrepantiam eorum a *Sylvio*, *Stenone*, *Graafio*, celeberrimis experientissimi *Lossius*, *Beddevole*, *Nuckius*, *Ruyschius*, recedant. Prorsus tamen intactum relinquere nequeo, dum ex tot famigeratissimorum Virorum cum dissensu, tum consensu, materiæ adeo obscuræ obscuram præferre facem in præsenti annitor, veniam & informationem ab oculatioribus, ubi caligavero, haud difficilem mihi promittens. Scilicet quo caligo circa generalem glandulæ texturam quodammodo dissipetur, ante omnia unanimis Recentiorum consensus videtur supponendus, quo glandulæ in genere non aliud, quam colatorii & filtri decernitur munus, huic jam exe-

quendo quia nonnisi conveniens pororum habitudo valet debetque concipi, ex ipsa tali omnem glandulæ conformationem in genere resultare protinus clarescit, sive glandula ipsa fluido alicui solummodo transcolando, sive ab altero potius fluido sequestrando, cum industrio *Nuckio* asseratur in specie inservire. Hinc quoniam ingeniosus *Pitcarnius* nonnullique pororum ejusmodi glandularum cum fluido, vel transmittendo, vel secernendo, convenientiam majori probabilitate in sola magnitudine indagant, hoc magis figura, quam plerique alias simul cum magnitudine in hoc negotio respiciunt, poterit seponi, quo promtius crassiores etiam humores a tenerioribus sic secerni posse postea demum exponam, quam specialiorem porro texturam glandulæ, tum transcolantis, tum separantis, ad *Nuckii & Bellini* ductum, cum varia utriusque differentia, indigitavero. Solertissimi namque *Nuckii* observationi exactiori debetur, quod porositas glandularum, quas conglobatas appellant, a textura fibrosa, veluti muscosa, promanet, eaque intercedente lympha, per lymphatica adducentia quæ accedit, per lymphatica vasa alia reducentia remeet transcolata subtilior, exemplo glandularum mesenterii manifestissimo. Hasce autem inter glandulas conglobatas quemadmodum, præter alias notissimas, pinealis glandula ob vasa lymphatica, quæ duplicis generis perspicacioribus in illa cernere licuit, jure meritoque a laudato *Nuckio* refertur, ita & pituitaria singularem invenire videtur locum, quod corpus spongiosum, i.e. fibrosum, texturæ tenuissimæ a *Vieussenio* annotetur, atque lympham per infundibulum a cerebri ventriculis acceptam filtrando ad venosos sellæ turcicæ sinus transmittere a Clarissimo *Litre* ostendatur, etiamsi vasis proprie dictis lymphaticis, cum advehentibus, tum revehentibus, destituatur. Sique conglobatæ ejusmodi glandulæ a lymphæ transcolatione, cui vacant, lymphaticæ merentur cognominari, nullum video impedimentum, quo minus lien quoque, glandulæ renales sive ad plexum ac thyroideæ, structuræ fibrosæ sanguinisque transcolationis intuitu, cum *Ruyschio* nunquam satis commendando, sanguineæ debeant salutari. Tum ad simplicissimam glandulæ

secer-

fecernentis ftructuram properanti vix aptius hæc videtur definienda, quam acutisfimus *Bellinus* fecit his verbis: formari glandulam poffe, fi a fummo ramo arteriarum, vel etiam a quacunque parte ramorum aut trunci deducatur canaliculus non conicus, neque emittens ramos, fed cylindricus & vel advolutus in fpiram, vel plicatus in plicas, vel faltem extenfus per convenientem longitudinem, atque per totum ambitum multis foraminulis pertufus &c. Qualem conformationem quia præ fe ferunt omnes glandulæ, quas *Ruyfchio* fpurias vocare placet, veluti non nifi arteriolarum extremitatibus conftantes, v. g. in cerebro, œfophago, ventriculo, inteftinis, hepate, renibus, tefticulis, utero &c. fequitur evidentisfime, hafce glandulas, fi folæ occurrant, v. g. in tunicis glandulofis, omnium effe fimplicisfimas ac mere vafculofas, fi vero fub membrana ambiente cum fubftantia alia folliculari aut faltem fpongiofa conjungantur ac in canaliculos excretorios, modo breviores, modo longiores, abeant, glandulas magis compofitas feu vafculofo-veficulares efformare, fporadicarum demum, congregatarum conglutinatarum & conglomeratarum titulo venientes. Glandularum fporadicarum inteftini recti *Peyerus* meminit, defcriptio vero earum, ad quam provocat, in *Willifio* fruftra quæritur, a *Ruyfchio* nihilominus cum foveis five folliculis exprimitur. Neque abfimilem ftructuram inteftinorum tenuium glandulis congregatis, a *Pechlino*, *Liftero* & *Peyero* memoratis, laudatus *Ruyfchius* vindicat, dum texturam follicularem in glandulis, quæ circa labia & buccas, atque fub palato congregantur, *Malphigius* pariter diftinctius evolvit. Conglutinatarum glandularum nomen tonfillis atque proftatis a *Losfio* inditur, quod utræque e pluribus fimplicioribus ita conglutinentur, ut exteriorem fuperficiei partem fatis æqualem, interiorem vero, qua cavitatem oris vel urethræ fpectant, multis finubus pertufam exhibeant. In glandulis denique conglomeratis, five fecundum *Schelhammerum* congeftis, major fimplicisfimarum glandularum atq; longiorum canaliculorum excretoriorum numerus cum fubftantia folliculari aut faltem

ſpongioſa conglomeratur & congeritur, quam in præcedaneis. Folliculoſa ipſarum compages a *Malpighio*, ſpongioſa vero a *Vieuſſenio* innuitur,ac alterutra ex magnitudinis incremento,quod notabile capiunt, quoties uberior flatus vel aqua in canalem earundem excretorium vel in arterias tubuli medio impellitur, col igitur certiſſime. Canales vero excretorii, per quos fluidum ſecretum aliorſum amandant, quia certiorem haud dubie iſtarum conſtituunt characterem, quam ſuperficiei inæqualitas, nihil obſtare videtur, quo minus hepar, renes & teſticuli, ratione excretoriorum ductuum, æque glandulis talibus accenſeantur, ac glandulæ ſalivales, pancreas, cerebrum &c. quibus inæqualis eſt ſuperficies. Thymus certe quamvis ſuperficiem inæqualem obtineat, ob peculiaris tamen canaliculi excretorii defectum fruſtra glandulis conglomeratis annumeratur; nec potiori jure glandulis conglobatis accenſebitur, quod vaſa ejus lymphatica non niſi unius generis innoteſcant, ad ductum thoracicum tendentia & valvularum conſuetarum expertia. Ceram quandoquidem in humanum ductum thoracicum infuſum prompte per notabilia lymphatica ad thymum excurrere poſt Clariſſ. *Cowperum* ipſe tribus abhinc annis in publica cadaveris fœminei diſſectione vidi aliisque oſtendi. Quomodo *Cowpero* autem exinde inferre detur, thymum in fœtu & junioribus ſubjectis, veluti majorem, peculiare chyli conſtituere diverticulum!, haud in propatulo eſt, cum modus oppido lateat, quo chylus per easdem vias, per quas ipſe vel ſaltem lympha continuo affluit, queat remeare; adeo ſcilicet thymus & conformationis & uſus ratione inter omnes ambiguit glandulas. Supereſt, ut fidem datam liberem, quamque varie craſſiores humores a ſubtilioribus ſecerni poſſint, explanem: primum fieri hoc poterit, ſi ſangvis per arteriolas in folliculos appenſos effundatur, effuſi autem portio tenuior per poros proportionatos aliorſum reducatur, parte craſſiori relicta, prout *Satorini* pinguedinis ſeparationem dilucidavit. Deinde idem obtinebitur, ſi fluidum a ſanguine quidem ſecernatur ſubtilius, moram tamen nectendo craſſitiem contrahat, vel quia lympha admixta

nunc

nunc per lymphaticorum oſcula abſorbeatur, nunc ab aere ipſo abradatur, vel quia tenuioris etiam fluidi particulæ ſucceſſive invicem combinentur, ſicque craſſiores efficiantur. Poſtremum fortasſis in bile folliculari locum habet, cum hepatici pori bilis tenuiſſima cernatur, in folliculo autem fellis longiore mora notabiliorem, & craſſitiem, & amaritiem contrahat, nullis interim vaſis lymphaticis ab iſta veſicula juxta *Nuckium* emergentibus. A quibus econtra in mammis v. g. & teſticulis lympha videtur excipi, quo lacti & ſpermati virili ſpiſſior concilietur conſiſtentia; quemadmodum ab aere in auribus, naribus, ore, trachea, &c. ſerum tenuius continuo diripi, crasſiori magis & plus minus viſcido ſuperſtite, inter omnes conſtat. Sed hæc circa abſtruſiſſimam glandularum ſtructuram & differentiam primoribus attigiſſe labris ſufficiat occaſione Diſputationis Inauguralis, quam de *Cancro*, *Mammarum* glandulas corripiente, *Nobilisſimus & Clariſſimus Vir Juvenis, Dominus* GEORGIUS FRIDERICUS Kuttenberg/ *Lipſ. Philoſophiæ Magiſter & Medicinæ Baccalaureus*, craſtina luce B. C. D. maſcule eſt defenſurus. Hic quippe ſicuti in Academia patria præceptis Philoſophiæ haud leviter imbutus ex Medicinæ Profeſſorum & Doctorum manuductione in Arte ſalutari egregie profecit, egregiosq; profectus cum in examinibus, theoretico altero, altero practico, tum in lectione curſoria aliisque ſpeciminibus Gratiosisſimo noſtro Collegio ſatis comprobatos dedit, ita & ex ipſo conflictu diſputatorio omnium applauſu & ſuffragio dignus facile reputabitur Licentiæ in Medicina titulo ac honoribus, quos a Facultate Medica modeſte nuper petiit atque conferendos obtinuit. Cumque ad præviam hujus & ſubmiſſam denominationem *Serenisſimus ac Potentisſimus Dominus*, DOMINUS FRIDERICUS AUGUSTUS, *Rex Poloniarum, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Prusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Wolhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ &*

Czerni-

Czernichoviæ; Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Angriæ & Westphaliæ, S. Romani Imperii Archi-Marschallus & Elector, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, & superioris inferiorisque Lusatiæ, Burggravius Magdeburgi, Comes Principalis Hennebergicus, Comes Marcæ, Ravensbergi & Barbyæ, Dynasta in Ravenstein, &c. Domi-minus meus longe Clementissimus, nomine *Reverendissimi ac Celsissimi Principis & Domini*, DOMINI MAURITII WILHELMI, *Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ ac Westphaliæ, Postulati Administratoris Episcopatus Martisburgensis & Academiæ hujus Cancellarii Perpetui*, Domini mei Clementissimi, Procancellarii ad hunc actum vices clementissime mihi demandaverit, mecum constitui, *Nobilissimo Domino Candidato* Dissertatione finita promeritam *Licentiam Doctoralia in Arte Medica privilegia & jura rite adipiscendi* solenniter impertire. Quam vero Panegyrin solennem ut splendidiorem præsentia sua, *Magnificus Academiæ Rector, Comites Illustrissimi, Amplissimi utriusq; Reipublicæ Proceres, ut & florentissima Nobilissimorum Studiosorum Corona*, ne graventur reddere, ea qua decet humanitate rogito, omnem posthac occasionem cum Gratiosissima Facultate Medica Nobilissimoque Domino Candidato avide arrepturus, tam insignem benevolentiam servitiis, officiis, studiis, redhostiendi. P. P. Lipsiæ d. 14. Novembr. MDCCIX.

LITERIS BRANDENBURGERIANIS,